



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Casparis Ziegleri De Episcopis eorumq[ue] juribus,  
privilegiis, & vivendi ratione, Liber Commentarius**

**Ziegler, Kaspar**

**Norimbergæ, 1686**

XXIV. De Jure circa monasteria.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61543](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61543)

tempus tenuerunt officium, ubi conversionis primordia non sumpserunt. Hæc autem consuetudo sanctissima primam in Angliâ cœpit, ubi venerabilis ille monachus & presbyter Beda monachorum institutor factus multos post se doctissimos reliquit discipulos &c. Concidisse verò istam prorsus disciplinam, & in ruditatem concessisse monasteria, justè conqueritur Claudius Espencæus *digression. lib. 3. cap. 12.*

XIV. Erant denique Scholæ puerorum puellarumque, quas tamen separatim haberi voluit Riculfus Svesvionum Episcopus *in capitulis sub n. 16.* Monemus præterea, ut presbyteri sic ruralibus, id est, terrestribus & cæteris occupationibus inserviant, quatenus divinum officium non negligant, & Scholarios suos modeste distringant, castè nutriant, & sic literis imbuant, ut malâ conversatione non destruant: & puellas ad discendum cum Scholariis suis in Scholâ suâ nequaquam recipiant, & ut turpi lucro & negotiationibus non inserviant. Quantum verò interfit tum Ecclesiæ, tum Reip. juventutem non in bonis literis tantum, sed etiam in pietate educari, plenâ manu testimonia sua conferunt, & consentiunt tum gentilium tum Ecclesiasticorum Scriptorum libri, quorum sententias hic compilare institutum nostrum non patitur.

CAP. XXIV.

*De jure quod Episcopus habet circa Monasteria.*

I.

Quo tempore & unde cœperit, qualesque progressus habuerit vita monastica, quantumque à primis suis institutis degeneraverit, alibi quali per compendium dixi, nec ea ut repetantur, propriè huc pertinent. Per aliquot jam secula & inde à Karoli Magni ætate plurimi tales in cœnobiis extiterunt, qui vitam monasticam infamarunt prorsus, suisque moribus id effecerunt, ut haud frustra crederent alii, vitam monasticam nihilo sanctiorem, imò deteriorem esse vitâ reliquorum Christianorum. Et ex hoc tot ubique querelæ virorum cordatorum, quibus indignum visum fuit, pigros istos & luxui deditos ventres ex bonis illis, quos pietati destinavit antiquitas, nutriri & nihil minùs quàm sanctitatem profiteri, alios verò ad speciem & multâ cum hypocrisi suâ tegere animi vitia, & priscam gravitatem multis simulationum involucris ostentare. *Non locus desertus, inquit autor libelli de duplici martyrio, saccus pro veste, legumen pro cibo, neque jejunia, monachum absolvunt: sub his involucris interdum latet animus valdè mundanus; quod ita deprehenditur, si ad munus aliquod*

B b b b

Eccle-

Ecclesiasticum vocentur: ibi videas quosdam ex illis facillimè vinci delitiis, impatientiores injuriarum, ad petentiores vindictæ, quam qui vix alius sit ex mediâ plebe. Quid cause est? quoniam corpus exercuerunt magis, quam animum, cum beatus Paulus doceat, quod exercitatio corporalis ad modicum utilis sit, pietas ad omnia valeat &c.

II. Quâ verò cunque intentione monasticam professi fuerunt homines vivendi rationem, in tantum numerum & monasteriorum & monachorum excrevit superioribus seculis multitudo, ut oneri esset Rebus publicis, & prudentiores eum tandem imminutum cuperent, præsertim cum inter ipsos monachos diversarum sectarum non sine scandalo acerba penitus & infesta nata fuisset odia. Videtur, inquit Petrus de Alliaco Cardinalis Cameracensis lib. de reform. Eccles. quod tanta religiosorum numerositas & varietas non expediat, que inducit ad varietatem morum & quandoque ad contrarietatem & repugnantiam observationum, & sæpè ad singularitatem & ad superbiam & vanam extollentiam unius status super alium. Prolixam eâ de monachorum discordiâ ad Bernardum Clarevallis Abbatem scripsit epistolam Petrus Abbas Cluniacensis lib. 4. epist. 17. ex quâ sequentia maximè verba notatu digna existimo: Nam ut penè assiduè cerno, & omnibus ipsis quoque negligenter intuentibus advertere perfacile est, niger, ut sic dicam, monachus album fortuito occurrentem obliquo sidere respicit: albus nigrum vix mediâ oculi parte, & quando se ingerit, contuetur. Vidi plurimos, nec recordor, quoties, de nigrorum numero occurrentem quempiam album quasi monstrum ridentes, & velut si chimera vel centaurus vel portentum aliquod peregrinum oculis ingereretur, voce vel gestu corporis se stupere signantes. Vidi e converso loquaces prius, & multa passim occurrentia ad invicem conferentes albos, nigro quolibet adveniente subito obmutuisse, & velut ab hostibus hostium secreta rimantibus, silentii sibi remedio præcavisse. Intuitus sum utriusque generis hominum linguas tacentes, oculos manûs pedesque loquentes: & quod voce, ne proderentur, indicare nolebant, gestum suffragio clarius inclamasse. Vocem mutam, membra loquacia, & perverso natura ordine lapidibus clamosos, homines hominibus taciturnos &c. Nec verò in gestus tantum prorupit ista difformitas, sed ipsam etiam vivendi rationem pessimè corrumpit, & prorsus degeneravit tandem atque in diversa omnia commutata est monasteriorum facies. Cum à priscis temporibus, verba sunt Jacobi à Vitriaco hist. occid. cap. 13. in partibus occidentis due tantum fuissent regularium diversitates, monachi scil. nigri, sancti Benedicti regulam profitentes, & Canonici albi, secundum regulam B. Augustini viventes, postquam peccatis exigentibus primo modica negligentes paululum cadere cœperunt, tandem ad tantam dissolutionem plurium regularium conventus devenērunt, quod viri timorati & prudentes sub alio habitu & aliis institutis Domino militaturi ab ipsis recesserunt, sicut scriptum est: fugite de medio Babylonis &c.

III. Quod

III. Quod si computandus esset ingens per totum terrarum orbem monasteriorum numerus, tum & immanis ipsorum monachorum multitudo, facile patefceret, haud exiguam partem mundi habitabilis ab illis occupari, & provincias aliquas vix sufficere tot gregibus alendis. In monasterio Cluniacensi ultra trecentos monachos aliquando habitasse docet Andreas Quercetanus *ad bibliothec. Cluniac. pag. 14*. In Gemeticensi, quod in diocesi Rothomagensi extitit, nongentos fuisse, scribit Thomas Walsingham & Guilielmus Gemeticensis. Et memini, nostro hoc seculo jactitasse aliquando Capuccinorum Generalem, subesse sibi ultra viginti duo millia monachorum. Et quis verò nunc reprehendet Johannem Petrum de Ferrariis autorem practicae judicialis *tit. 50. gloss. g. n. 4. seq.* circa annum MCCCCX. in hæc verba erumpentem: *Nam scire debes, tu ignare Laice, quod Imperium aliquando habuit utrumque gladium, temporalem scilicet & spiritualem, adeo quod tunc Imperatores conferebant omnia beneficia Ecclesiastica per universum Orbem, & amplius eligebant Papam. -- Unde eo tempore, quo studebant Imperatores ampliare Christianam fidem, que tunc modica erat, & in parvo statu, oportuit conferre multa privilegia Ecclesiis, & his, qui se ad fidem Catholicam convertebant. -- Inter quæ privilegia fuit istud, quod bona ingredientium monasteria applicarentur ipsis monasteriis. Propter quod privilegium multiplicata & fundata sunt monasteria infinita per universum Orbem, olim causâ devotionis, licet hodiè causâ rapine & avaritiæ, in tantum, quod destruxerunt hodiè mundum, & annihilaverunt statum imperii & omnium Laicorum. Possunt ergo merito dici talia loca facta vel fienda, retia contexta ad capienda Laicorum bona. Surgat ergo bonus Imperator, & dicant omnes: Fiat pax in virtute tuâ & abundantia in terris tuis.*

IV. Quotcunque autem exædificata fuerint monasteria sive Virorum sive puellarum, in aliquâ diocesi, subjecta ea esse voluit antiquitas directioni & regimini Episcopi, qui illi diocesi præest. Clarè Concilium Calchedonense *can. 4*. Placuit, nullum quidem usquam edificare nec constituere monasterium, aut oratoriam domum, præter consensum Episcopi civitatis. Eos verò monachos, qui sunt in unâquâque civitate & regione, subjectos esse Episcopo & quietem amplecti, & jejunio & orationi tantummodo vacare in locis, in quibus constituti sunt permanentes, nec ecclesiasticis vel secularibus negotiis se ingerere vel communicare, sua relinquentes monasteria, nisi fortè propter necessariam causam ab Episcopo civitatis permissum fuerit. -- Civitatis autem Episcopum eam quam par est, monasteriorum curam gerere oportet. Atque id repetitum in Concilio Arelatensi *V. c. 2*. Ut monasteria vel monachorum disciplina ad eum pertineant Episcopum, in cujus sunt territorio constituta. Et in Concilio Vernensi *c. 3*. Ut unusquisque Episcoporum potestatem habeat in suâ parochiâ tam de clero, quam de regularibus vel secularibus ad corrigendum &

emendandum. Itemque can. 5. Ut monasteria tam Virorum, quam puellarum secundum ordinem regulariter vivant, & si hoc facere contempserint, Episcopus, in cuius parochia esse videntur, hoc emendare debet. Putatque Hadrianus II. Pontifex epist. 28. quam scripsit ad Carolum Calvum Regem, ruinam monasteriorum protectam fuisse exinde, quod se regimini Episcoporum subdlexerint. Nostis enim, inquit, quia omne monasterium in potestate Episcopi consistere debet juxta canonicam auctoritatem: & quia hoc est transgressum, idem plurima monasteria habentur destructa, sicuti monasterium S. Medardi Turo-nis &c. Nec virorum tantum, sed & puellarum monasteria, uti modo ex Vernensis Concilii canonibus adduxi, Episcopis subjecta erant, quod etiam confirmat Concilium Arelatense V. c. 5. Ut Episcopi de puellarum monasteriis, quae in sua civitate constituta sunt, curam gerant: nec Abbatissa ejus monasterii aliquid liceat contra regulam facere.

V. Hinc adeo factum, ut sine literis Episcopi commendatitius non licuerit vel monachis vel monialibus claustris suis egredi, gravesque sustinuerint poenas, qui secus fecissent. Diserte id sub poena verberum prohibuit Concilium Veneticum c. 6. & Concilium Agathense c. 38. & sub poena excommunicationis Concilium Parisiense V. c. 12. etiam si Romam iter suscipere voluerint. Concilium Vernense c. 10. Et conferri hic possunt Capitularia lib. 5. c. 25. & 78. itemque lib. 6. cap. 130. Nec monachis tantum, sed Abbatibus etiam ipsis prohibitum erat sine permissione Episcopi iter suscipere aut longius a monasterio suo abire. Ob hanc enim causam Abbatem Gristanensem objurgat Arnulphus Episcopus Lexoviensis epist. 53. quod neglecta Episcopalis auctoritate mandati, imo tua & animarum tibi commissarum salute postposita, sine nostra conscientia discessisti. Ea; propter illum quamprimum redire jusfit ex Angliam, quod profectus fuerat. Et inde ille Episcopalis edicti necessitate reductus est, ut idem loquitur Arnulphus epist. 42. Pluribusq; aliis exemplis demonstrari potest, si quando Abbates olim ad Episcopatum promoveri debuissent, in validam eousq; habitam fuisse electionem, donec accessisset consensus Episcopi, cui subjectionem & obedientiam debebant. Anshelmus Beccensis Cœnobii in Normanniam Abbas oblatum ultrò Archiepiscopatum Cantuariensem in Angliam accipere renuit, antequam a præfecturam monasterii sui per Archiepiscopum Rothomagensem, cui suberat, esset absolutus. Abbas sum, inquit apud Eadmerum lib. 1. monasterii regni alterius, Archiepiscopum habens, cui obedientiam, terrenum Principem, cui subjectionem, monachos, quibus deo consilii atq; auxilii subministracionem. His omnibus ita sum adstrictus, ut nec monachos deserere possim sine illorum concessione, nec me à dominatu principis mei valeam exuere sine ejus permissione, nec obedientiam Pontificis mei subterfugere queam, cum salute anime meae, absq; ipsius absolutione. Atq; idcirco generaliter statutum fuit in Concilio Aurelianensi l. c. 19. Abbates  
pro

pro humilitate religionis in Episcoporum potestate consistant, & si quid extraregulam fecerint, ab Episcopis corrigantur.

VI. De monialibus sine licentiâ Episcopi monasterio suo egressis illustre extat exemplum apud Gregorium Turonensem *lib. 9. hist. cap. 39. seq.* quod præbuit in monasterio Pictavenfi Chrodielidis, Chariberti Regis filia. Illa enim Leuboveræ Abbatisæ suæ, cujus in locum evehi cupiebat, imperium detrectans, cum Basina Chilperici Regis filiâ & aliis quadraginta eoque amplius puellis, quas in partes suas traxerat, monasterio egressa Turonos ad Gregorium Episcopum, & inde, cum ejus admonitionibus animum advertere nollet, ad Guntrannum Regem in Burgundiam profecta est, multis ubique Abbatisæ, & ipsum etiam Episcopum, cujus in diocesi monasterium istud situm erat, quique tum temporis Maroveus fuit, convitiis falsisque criminibus insectans. Post hæc cum sodalibus, quas Turonis reliquerat, Pictavos reversa, B. Hilarii basilicam infedit, collectaque perditorum hominum manu, ibi se communiit, negans se ad monasterium, nisi ejectâ Leuboveræ redituram. Quin etiam cum ad eas Gundegisilus Burgundigalensis Metropolitanus, cum Nicasio Engolismensi, Saffario Petragorico, & Maroveo Pictavenfi ad monasterium reducere cupiens advenisset, obstinatiusque reluctans excommunicationem indixisset, sic in eos repente illa sicariorum turba grassata est, ut Clericis sanguine respersis Episcopi vix evaserint. Rem totam, quæ contigit anno Christi DLXXXIX. plenius exponit Gregorius Turonensis *d. l.* ex quâ id præcipue ad causam nostram facit, quod non diocesanum tantum, sed etiam comprovincialium Episcoporum autoritate puellarum illarum proterviam compescere oportuerit, quodque adeo ad Episcoporum curam pertineant claustra monialium. Hinc adeo uti non licuit monialibus sine licentiâ sibi ab Episcopo datâ extra monasterium vagari, sic nec ulli Viro licuit sine speciali concessionem Episcopi monialium claustra ingredi, quod in primis prohibuit Concilium Ravennatense III. c. 11.

VII. Sed & visitandi potestatem in monasteriis habent Episcopi, eaque multis Conciliorum decretis confirmata fuit. Quæ in Synodo apud Saponarias relecta fuerunt decreta Synodi Lingonensis sub num. 9. præcipiunt, ut congregationes Canonicorum & monachorum ac sanctimonialium, secundum canonicam institutionem à propriis Episcopis strenue visitentur, & eorum religio & habitus exquiratur, si vitâ & moribus sint probi, ac officii & unanimi studio solliciti, à levissimis quoque & perniciosissimis actibus cauti. Subsidia etiam illorum pia dominorum providentia exquirantur & disponantur: quatenus clementia vestra in omnibus fultis, pro vestra in Christo prosperitate, regni quoque vestri sublimatione, Domini clementiam eos jugiter exorare delectet. Similis visitandi ratio cum uberiore explanatione tum Episcopo, tum missis Regiis,

Bbbb 3

qui-

quibus ea cura incubuit, præscripta fuit in Concilio a quo S. Macram *can. 4.* Et Episcopo singulariter in Concilio Rotomagensi, cujus verba recenset Regino Abbas Prumiensis *lib. 2. de Eccles. discipl. num. 167.* Ut Episcopus monasterium monachorum & sanctimonialium frequenter introeat & cum gravibus & religiosi personis in eorum vel earum conventu residens, eorum vitam & conversationem diligenter discutiatur, & si quid reprehensibile invenerit, corrigere satagat. Sanctimonialium etiam pudicitiam subtiliter investiget. Et si aliquam invenerit, quæ neglecto proposito castitatis, Clerico aut Laico impudenter miscetur, acriter verberibus coercetur, & in privata custodia retrudatur, ubi quod male commisit, dignè pœniteat. Interdicat autem ex auctoritate sanctorum canonum, ut nullus laicus aut clericus in earum claustris & secretis habitationibus accessum habeat, neq; presbyteri, nisi tantum ad missam. Expletâ missâ ad Ecclesias suas redeant &c. Et talis visitatio ab Episcopo, quotiescunque ei collatum fuerat, institui poterat. Eoque pertinent verba Concilii Aurelianensis apud Gratian. *c. non semel 18. q. 2.* Non semel sed sæpius in anno Episcopi visitent monasteria monachorum. Et quod scribit Gregorius *lib. 7. epist. 18.* Visitandi exhortandiq; gratiâ ad monasterium, quoties placuerit ab antistite civitatis, accedatur.

VIII. Quæ cum ita sint, facere nequeo cum illis, qui statuunt, in negotiis, quæ regulam concernunt, nullam omninò competere potestatem Episcopo in monachos, sed tùm demum & in illis solum causis, quæ extra regulam committuntur, si quid tale monachus perpetraverit. Nec enim eò trahenda sunt verba Concilii Toletani IV. *can. 51.* quæ pro istâ opinione defendendâ adduci solent: *Hoc tantum in monasteriis sibi vendicent Sacerdotes, quod precipiunt canones, id est, monachos ad conversationem sanctam præmonere, Abbates aliq; officia instituere, atq; extra regulam facta corrigere.* Vocabulum hoc extra et si remotionem & separationem ut plurimum significet, non patiuntur tamen ea, quæ adduximus, Conciliorum decreta, ut eundem in hoc canone significatum admittamus, ita scilicet ut quæ contra regulam & disciplinam monasticam commissa sunt ab abbate solo, reliqua autem, quæ regulam non attingunt, ab Episcopo corrigi debere dicamus. Potius igitur est, ut vocabulum hoc extra, de eo, quod contra regulam fit, explicemus, cum omninò extra regulam agat, qui contra regulam committit. Et fuit omninò hæc antiquæ Ecclesiæ intentio, ut plenam in monachos potestatem, & disciplinæ monasticæ correctionem haberet Episcopus. Idque nî fallor satis perspicue proposuit Karolus Magnus *lib. 3. leg. Longobard. tit. 1. c. 8.* Volumus atque jubemus, ut Episcopi suum in omnibus juxta vires suas peragere studeant ministerium, in parochiis eorum: Sicut prædicationes & confirmationes ibidem expleant. Et de monasteriis, quæ infra eorum parochiam sunt, vigilanter curent, ut Canonici secundum canones, & Regulares secundum regulam

gulam vivant: & ubi aliter, quàm ordo poposcit, invenerint, emendare faciant, & si emendare nequiverint, nobis nuncietur. Idem Carolus l. 2. capitular. tit. 8. Abbatibus quoque & Laicis specialiter jubemus, ut in monasteriis, quæ ex nostrâ largitate habent, Episcoporum consilio & documenta ea, quæ ad religionem Canonicoꝝ, monachorum, sanctimonialium pertinent, peragant, & eorum salubrem admonitionem in hoc libenter audiant & obediant.

IX. Quin & remove ab officio potuit Episcopus abbatem criminofum, non tamen nisi eum consilio suorum compresbyterorum & reliquorum abbatum, uti statutum in Concilio Turonensi II. c. 7. itemque in Concilio Triburiensi apud Gratianum c. si quis 18. q. 2. Si quis abbas cautus in regimine, humilis, castus, misericors, discretus sobriusq; non fuerit, ac divina præcepta verbis & exemplis non ostenderit, ab Episcopo in eujus territorio consistit & à vicinis abbatibus & ceteris DEUM timentibus à suo arceatur honore &c. Nec alia fuisse videtur causa disfidii istius, quod inter Theodorum Episcopum Foro-Juliensem, & Faustum Abbatem Lerinensis insulæ in Concilio Arelatenſi III. componi oportuit, nisi quod remotus fuisset Abbas ab Episcopo propter jura usurpata. Remotum enim eum fuisse ostendunt verba ejus concilii, quibus decernunt Episcopi convocati, ut Episcopus abbatem indultâ, si qua illa esset, culpæ venia in pristinâ pace toto charitatis affectu reciperet, & ad Insulam ac congregationem ipsi DEO dispensante commissam, cum suâ gratiâ & charitate remitteret. Usurpationem autem jurium Episcopaliū causam fuisse remotionis ab Officio ostendunt verba sequentia, quibus enumerantur jura, quæ Episcopis in Monachos competunt, quibus sine dubio accenſeri antehac voluit Episcopus potestatem in monasterii multitudinem laicam, sed quam exceptit, & Abbati commendatam esse voluit Concilium. Specialiter hoc monasterio Augustodunensi privilegium concessit Gregorius Pontifex lib. 11. epist. 10. ut si de crimine aliquo suspectus esset Abbas, non solus Episcopus civitatis Augustodunensis causam examinet, sed adhibitis sex aliis Episcopis suis subtili hoc investigatione perquirat.

X. Tanta olim fuit in monasteriis Episcoporum potestas. Sed multum attenuata deinceps ea & attrita, alicubi etiam prorsus extincta fuit per exemptiones monasteriorum & privilegia illis concessa. Quæ ipsa tamen ab initio tam gravem Episcopalis autoritatis jacturam inferre non videbantur, quod & leviora ea essent, & Episcopalem jurisdictionem integram & illæsam relinquerent, & ex ipsorum etiam Episcoporum vel culpâ vel spontaneâ concessione causam haberent. Non enim uniusmodi ea semper fuerunt, sed ex tenuibus initiis orta primùm, latius deinceps, cum adoleſcerent, fimbrias tuas extenderunt, donec in ejusmodi nervum eruperunt tandem, ut omne prorsus Episcoporum regimen respuerent, & se autoritate Sedis Romanæ in plenam libertatem vindicarent. Prima & præcipua

cipua immunitatis primævæ causa, ni fallor, fuit Episcoporum avaritia, qui, cum, uti in alia, quæ Ecclesiarum propria fuerunt, ita etiam monasteriorum bona jus sibi ab antiquis canonibus concessum haberent, haud veriti sunt, iis abuti, & in suos suorumque usus prodigaliter vertere, monachis verò suas parcius admetiri portiones quotidianas, & monasteria ipsa suis defraudare facultatibus. Altera causa erat Episcoporum in præficientis Abbatibus parùm considerata, & præsumptuosa atque prorupta temeritas, dum inhabiles sæpè & nec moribus nec scientiâ præstantes, peregrinos quandoque & rei monasticæ prorsus ignaros in Abbates promoverent, quorum Manliana imperia, & importunas atque amaras voces ferre vix poterant monachi, quique adeò turbas sæpè excitabant, & canonica præcepta ad arbitrium suum atque libidinem eludebant. In his scilicet duobus consistebant primæ illæ immunitates, quibus monasteria gaudebant, ut referrentur vel ad liberam Abbatis & Abbatissæ electionem, quæ conventui sive congregationi tota permittebatur, vel ad liberam facultatum monasticarum & oblationum administrationem, quæ interdicebantur Episcopi, ut, quæ haberet, bona retineret Monasterium, salvâ in cæteris omnibus Episcoporum jurisdictione & jure competente.

XI. Ne id frustra dixisse videar, aliqua hic addam exempla, non illustrantia tantùm, sed & probantia istam immunitatum rationem. Inter Epistolas Gregorii Magni lib. 6. epist. 12. extat privilegium Monasterii S. Casiani missum ad Respectam Abbatissam Masiliensem, & hæc continent verba: *Constituentes, ut obeunte ante dicti monasterii Abbatissa, non extranea, sed quam congregatio sibi de suis elegerit, ordinetur: quam tamen, si digna huic ministerio judicata fuerit, ejusdem loci Episcopus ordinet. In rebus autem, vel in dispositione monasterii ejusdem nec Episcopum, nec Ecclesiasticorum quenquam habere decernimus potestatem, sed hæc ad sollicitudinis tuæ, vel quæ post te in eodem loco fuerit Abbatissa, curam statuimus per omnia pertinere. Die siquidem natalis vel dedicationis supra dicti monasterii, Episcopo illic missarum sacra conveniat solennia celebrare. A quo tamen ita est hoc officium exsolvendum, ut cathedra ejus, nisi prædictis diebus, dum illic missarum solennia celebrat, non ponatur. Quo discedente, similiter etiam cathedra illius de eodem oratorio auferatur. Ceteris verò diebus per presbyterum, qui ab eodem Episcopo fuerit deputatus, missarum officia peragantur. Præterea erga vitam actusq; ancillarum DEI, sive Abbatissæ, quæ in supra scripto fuerit monasterio constituta, Episcopo secundum DEI timorem, sollicitudinem statuimus adhibere, ut si aliquam de illic habitantibus exigente culpâ oportuerit ultioni submitti, ipse juxta sacrorum canonum vigorem modis omnibus debeat vindicare &c. De collocatione cathedræ subitaneæ & temporali quod dicitur in privilegio, interpretationem suggerit & conjecuram, in aliis Ecclesiis, in quibus sacra peragenda erant Episcopis, perpetuo positas*

postas fuisse eorum cathedras, & indicium fuisse autoritatis atque jurisdictionis Episcopalis. Alibi in speciali decreto, quod paulo ante obitum in Concilio Lateranensi edidit Gregorius, quodque ex bibliothecâ Vaticanâ integrum se edere profitetur Cardinalis Baronius ad ann. DCI. num. 8. generaliter prohibuit, ne quis Episcopus in monasteriis cathedram collocare audeat, vel quantalibet potestatem habere imperandi &c. Quæ quidem cõstitutio utrum genuina sit, & ejus seculi moribus conveniat, aliis discutiendum relinquo.

XII. Paria privilegia monasteriis in civitate Augustodunensi idem concessit Gregorius. Statuentes, nullum Regum, nullum Antistitum, nullum quâcumque præditum dignitate, vel quemquam alium de his quæ Xenodochio à suprascriptis præcellentissimis filiis nostris regibus jam donata sunt, vel in futuro à quibuslibet aliis de propria fuerint jure collata, sub cujuslibet cause, occasionis, ve specie minuere vel auferre, sive suis usibus applicare, vel aliis quasi piis causis, pro sue avaritiæ excusatione posse concedere: sed cuncta quæ ibi oblata sunt, vel offerri contigerit, tam à te, quam ab iis, qui in tuo officio locoque successerint, perenni tempore illabata, & sine inquietudine aliqua volumus possideri, eorum tantum usibus, pro quorum sustentatione gubernationeque concessa sunt, modis omnibus profutura. Item constituimus, ut obeunte Abbate atque presbytero suprascripti Xenodochii atque monasterii, non alius ibi quâcumque obreptionis astutia ordinetur, nisi quem Rex ejusdem provincie cum consensu monachorum secundum timorem DEI elegerit ac providerit ordinandum &c. Similiter Johannes VIII. Pontifex in Synodo Tricasinâ Monasterio Floriacensi tale dedit privilegium, ut in sæpe memorato loco servi DEI absque inquietudine debitum suæ religionis persolvere possint servitium secundum regulam patris Benedicti, à propriis Abbatibus, monachis videlicet ex eodem cœnobio regulariter electis, in perpetuum gubernentur. Nec illarum rerum, quæ vel in prælibato præcepto nominatim continentur, vel à prædicto Abbate venerabili nunc ejusdem loci Theoberto præfati monasterii officiis deputate habentur, ullam ab alio unquam patiantur imminutionem, & etiam rebus, quæ deinceps à quibuslibet religiosiis hominibus eodem loco pervenerint condonata.

XIII. Refertur in hoc diplomate, Abbatem & totam congregationem multorum Episcoporum privilegia meruisse, & jam desiderare etiam Pontificis Romani confirmationem. Quod quidem haud obscure probat, exemptionum privilegia sæpè ab ipsis Episcopis diœcesanis concessa fuisse, id quod aliter fieri non poterat, nisi per renunciationem juris competentis. Perspicuè magis id patet ex chartâ, quâ continetur privilegium libertatis Monasterio Corbejensi à Bertefrido Episcopo Ambianensi concessum. Verba hæc sunt: Hoc privilegium plenâ voluntate unâ cum consensu fratrum meorum concessisse vel indulgisse visus sum: per quod decerno atque obtestificationem divini nominis interdico, ut nec ego, nec ullus Episcoporum suc-

Cccc

cesso-

cessorum meorum hoc irrumpere presumat. -- -- Ergò omnes unius conspiratione consensus antedictis principibus postulatione socia libentissimè amnuentes, sic decrevimus, ut quaecunque predicto monasterio vel monachis regio munere, seu à quibuslibet Christianis, in agris, mancipiis, vineis, silvis, auro, argento, vel vestibus, vel quibuslibet speciebus collata, aut deinceps conferenda sunt, vite nostræ temporibus seu successorum nostrorum, nec ego, nec ullus sibi Pontifex, aut aliquis ex ordine Clericorum Ambianensis Ecclesie, suis usibus usurpare, aut minorare, aut ad civitatem aliquas species deferre presumat, sed sub omni libertate vel immunitate saepe dictum monasterium vel monachi ibidem consistentes possideant. -- -- Et cum Abbas fuerit de seculo isto evocatus, quem unanimiter congregatio ipsius monasterii ex semetipsis bonum & dignum elegerint, datâ auctoritate à prefato principe, vel ejus successoribus, à nobis vel successoribus nostris absque ullo commodo secundum sanctos canones ordinetur &c. Idem privilegium confirmatum fuit tempore Caroli Calvi in Synodo Parisiensi à quamplurimis Episcopis, & ab ipso denique Pontifice Romano Nicolao, quæ instrumenta recensuit Jacobus Sirmondus tom. 3. Concil. Gall. Tali modo etiam Zacharias Papa ad instantiam Bonifacii Archiepiscopi Moguntini exemit monasterium Fuldense ab eo extractum, sibi que un illud immediatè subesse voluit.

XIV. In illis, quæ adduxi, privilegiis aliisque pluribus sæpè fit mentio Regum & Principum. Quæ res facit, ut quæ eorum circa monasteria fuerit potestas, in Galliâ præsertim, uberius explanare operæ videatur precium. Et prisca quidem temporibus, si qua monasteria fundassent & exædificassent Reges, nihil juris sibi retinuisse videntur, sed sufficere putarunt, si Episcopali potestate, cui secundum jus commune monasteria omnia subjecta erant, ea exempta redderent, cui quidem instituto resistere & Regiæ voluntati resistere Episcopi verebantur. Sic enim præmittit Bertefridus Episcopus Ambianensis in privilegio monasterio Corbejensi concessio: *Et quia gloriosissimus dominus Chlotharius Rex, necnon præcelsa domina Balthildis regina, divino illuminati auxilio monasterium suo opere, Christo præfule in loco nuncupante Corbeja construxerunt, religiosam positionem nostris auribus patefecerunt, quæ viscerali pietatis affectu ita cor intrinsecus molliovit, ut petita non concedere, aut certè libentissimè non implese, noster animus irreligiosum fore putaret &c.* Ad eundem modum Landericus Parisiorum Episcopus in privilegio Dionysii monasterio concessio, quod in notis ad Marculfum exscripsit Hieron. Bignonius, ait: *Quia supradicti domini Cludovici Regis petitio quasi nobis jussio est, cui difficillimum est resisti &c.* Et quia exemptio ista in duobus maximè capitibus, uti dixi, constabat, administratione scil. bonorum monasterii, & electione Abbatis, prior quidem illa simpliciter plerumque concedebatur, altera verò in consensum Regium

Regium definebat, ita, ut quem ex congregatione suâ elegissent monachi, autoritate Regiâ is confirmandus esset, uti ex adducto privilegio monasterii Corbejenfis patet. Postea verò censuerunt Reges, monasteria, quibus ipsi libertatem dederant sua propria esse, sibi que adeò licere non causas tantùm monasteriorum suæ cognitioni subicere, sed etiam Abbates instituere, eosque removere, si minus digni iudicati fuerint. Et sic non tantùm Episcoporum potestas in monasteriis prorsus extincta, sed & ipsis monachis eligendi potestas ablata fuit.

XV. Hinc verò natæ fuerunt querelæ, quod ipsi etiam Reges parùm dignis monasteria & dignitatem eam committerent. In Synodo Ticinensi, quæ anno DCCCL. celebrata fuit, *can. 16.* censuerunt Episcopi ibi congregati, suggerendum esse beatissimis Imperatoribus, *quia hi, qui monasteria & Xenodochia sub defensione sacri palatii posuerunt, ideò fecisse probantur, quod à nullo melius, quàm à summis potestatibus protegenda crediderint. Et si ea, contra decreta institutorum, personis, quibus non licet, dederint, ipsi impugnatores efficiuntur, qui propugnare debuerunt, & cavendum summoperè principibus, ut quia minime nunc judicantur, ne in futuro iudicio ab omnipotenti DEO gravius judicentur.* Eodem modo in Concilio Aquisgranensi II. *cap. 3. can. 10.* ad Ludovicum Pium hæc diriguntur verba: *Similiter poscimus, ut in Abbatissis constituendis & rectoribus Monasteriorum vestrum specialiter caveatis periculum, sicut vobis sæpè est dictum, & per divinam auctoritatem crebrius manifestatum.* Et ad Ludovicum Regem Germaniæ scribunt Episcopi in Synodo apud Carisiacum congregati, *c. 9.* *Rectores etiam monasteriorum, quibus monasteria committitis, firmiter & obnixè precipite, ut secundum ordinem & habitum & sexum, quo inhabitantes constituti sunt, sollicitè & solerter provideant &c.*

XVI. Ex arbitrio & institutione Principum dum ita pendebant Abbates, evenire facilè quid poterat, ut ab iisdem illis removerentur iterum, & in monachorum ordinem redigerentur. Carolus Calvus Odonem Abbatem Ferrariensem à regimine illius monasterii amoverat, substituto Lupo, & parum absuit, quin ab eodem Rege deiceretur iterum Lupus, eique substitueretur Egilbertus quidam. Sic & Rabanus Maurus ab Abbatia Fuldensi, quam per annos viginti tenuerat, pulsus fuit, ad accusationem monachorum ei subjectorum, sine dubio tamen autoritate Regiâ. Quomodo etiam Regino Abbas Prumiensis ab Arnulpho Rege dejectus fuit. Quâ de re videri potest diligentissimus harum mutationum scrutator Stephanus Baluzius *ad Reginon. pag. 524.* Sicut autem Abbatum electiones & dejectiones sibi solis tùm temporis vindicabant Reges: ita & libertatis privilegia monasteriis concessa ex arbitrio suo pendere volebant iisdem, ut vel augere ea, vel minuere, vel etiam prorsus

adimere pro lubitu possent. Hinc enim factum, ut idem monasterium per vicissitudines modo liberum, modo subiectum, mox iterum liberum, & rursum subiectum esset, quod de monasterio S. Columbæ apud civitatem Senonensem eruditè observat idem Baluzius *ad Servati Lupi epist. 12.*

XVII. Nondum eo tempore interponebantur partes Pontificis Romani, sed sufficiebat autoritas Regum, qui & privilegia dabant, & Abbates ex palatio suo. Postea verò ut eo sanctior esset exemptio, & metu religionis territi abstinerent magis ab insultationibus & oppressionebus homines maleferiati, cœperunt etiam Pontificum Romanorum diplomata expeti, & quod ita factum erat, ab illis confirmari. Videntur tamen illi ab initio trepidè admodum, & dubitanter, atque cum quâdam animi repugnantia consensum præbuisse, quod privilegia talia iuribus Episcopalibus derogarent & adversa planè essent. Unde Adeodatus Papa in privilegio, quod monasterio S. Martini Turonensi concessum legitur, ægrè admodum consentit, neque consensisset fortè, nisi plarium Episcoporum suffragio id munitum fuisset. *Parumper autem, inquit, ambigimus idcirco, quod mos atque traditio sanctæ nostræ Ecclesiæ plus non suppetat, à regimine Episcopalis providentiæ religiosa loca secernere. Verùm ubi prædicti fratris nostri Crotberti Turonensis Ecclesiæ Præsulis monachicam libertatem, h. e. liberam dispensandi licentiam scripto concessam, religiositate ejus exemplaria proferente, comperimus; in cujus volumine & aliorum per Gallicanam videlicet provinciam constitutorum Antistitum, ad id consensum præbentium subscriptiones subter annexas inspeximus: nullatenus jam exsortem rationis ac canonice regule tantorum Episcoporum consonam sententiam fore perpendimus. Certè necessarium non erat, ut accederet consensus Romani Pontificis, nec aliàs valeret privilegium concessum. Idque, ni fallor, agnovit Gregorius Magnus lib. 7. epist. 115, dum ad Vigilium Episcopum Arelatensem de privilegio monasterii illie extracti ita scribit: Sciens quippe eam Apostolicæ Sedi reverentiam à fidelibus exhiberi, ut quæ suis- sent ejus decreto disposita, nullius deinceps illicitæ usurpationis molestiâ quaterentur &c. Dicere vult, minus violabile esse privilegium, quod autoritate summi Pontificis firmatum religionem incuteret, meliusque hinc esse, ut talis confirmatio accederet.*

XVIII. Cùm ita frequentiores fierent in aulâ Romanâ privilegiorum petitiones, factum, ut quæ antea Regum censèbantur imperio subiecta, & ad eorum regimen immediatè pertinere, deinceps sub tuitione Apostolorum Petri & Pauli atque Romani Pontificis defensione contineri dicerentur. Juris enim Romani censèbantur, & ad allodium sive patri-

monium D. Petri referrebantur, quo nomine ab ipsis fundatoribus sæpè insigniebantur. Sic enim monasterium Vindocinense à Goffrido Martello Comite Andegavenfi beato principi Apostolorum Petro & Romanæ ejus Ecclesie in allodium & patrimonium oblatum est. Ideoque si quis privilegia illa violasset, aut quocunque modo impetisset, ipsius Petri Apostoli & Pontificis Romani auctoritatem labefactari, atque ab iisdem defendi debere contendebant. Ad hoc asyllum confugit Pontius Abbas Cluniacensis, cum privilegiis sui monasterii quidam detractum cuperent, & de illatâ injuriâ quererentur. Rem gestam refert Ordericus Vitalis, Urticensis Lexoviorum Monachus lib. 11. histor. Matisconensis Episcopus ad hanc sanctam synodum clamorem fecit, quod Pontius Cluniacensis Abbas ipsum Ecclesiamq; suam damnis, injuriisq; multis offecerit, Ecclesias, decimasque suas debitasque subjectiones sibi abstulerit violenter, & congruas dignitates suorumq; ordinationes Clericorum denegavit. Sed Cluniacensis Abbas sic respondit: Cluniacensis Ecclesia soli Romanæ Ecclesie subdita est & Papæ propria & ex quo fundata est, à Romano Pontifice obtinuit privilegia, quæ proclamator iste abolere nititur. -- -- Nimia de his ad me sollicitudo non pertinet. Ecclesiam suam Dominus Papa, si vult, defendat, & Ecclesiam, decimasq; cum aliis possessionibus, quas ipse mihi commisit, custodiat. -- -- Ducenti & eo amplius anni sunt, ex quo Cluniacensis Ecclesia fundata est, & ab ipso primordio foundationis suæ Romano Pontifici donata est &c. Ex eadem ratione & in eundem finem nunciat Alexandro III. Pontifici Petrus Cellensis episc. 3. Pictavensem Episcopum libertatem Abbatiæ Fontis Ebraldi diminuere, & Abbatissam ad professionem & promissionem obedientiæ cogere velle, quam sibi sedes Petri retinuit.

XIX. Quantacunque verò libertas, quæ certè amplissima sæpè fuit, monasteriis olim sive à Regibus sive à Pontificibus Romanis contigit, manserunt nihilominus necesse est aliqua Episcopis diocesanis, quæ Abbates expedire non poterant. Primum enim Abbates ipsi in monasteriis exemptis, qui electi fuerant in congregatione monachorum, ordinabantur ab Episcopis, hæc tantum sub limitatione, ut Episcopis nihil inde accederet emolumentum. Patet id ex privilegio monasterio Corbejensi ab Episcopo proprio Ambianensi concessio: Cum Abbas fuerit de seculo isto evocatus, quem unanimiter congregatio ipsius monasterii ex semetipsis bonum & dignum elegerint, datâ auctoritate à præfato principe vel ejus successoribus à nobis vel successoribus nostris absq; ullo commodo secundum sanctos canones ordinetur. Sed nec presbyter quidem aut diaconus ordinari poterat ab abbate, ut maximè monasterio illi adscriptus fuisset, sed ordinationem eorum fieri oportebat ab Episcopo. Idque exprimit privilegium monasterio Turonensi ab Adeodato papa datum. Reverendissimo verò Episcopo, in cujus parœciâ memoratum venerabile

monasterium, vel res ejus ac possessiones constiterint, faciendæ tantum ordinationis ac promotionis sacerdotum atque levitarum, vel conficiendi chrismatis sit tantum concessa licentia.

XX. Monachi namque, quia extra clerum esse censentur, Ecclesias sibi subjectas per alios regere tenentur. Extat sub tit. X. de capell. monachor. c. 1. decretum, quod Urbano III. adscribitur, Baronijs autem ad ann. M XCV. n. 30. in Concilio Claromontano, quod sub Urbano II. habitum fuit, editum memorat: *In Ecclesijs ubi monachi habitant, populus per monachum non regatur, sed capellanus, qui populum regat, ab Episcopo per consilium monachorum instituatur. Ita ut ex solius Episcopi arbitrio tam ordinatio ejus quam depositio, & totius vite pendeat conversatio.* Ejusdem Urbani II. verba hæc sunt: *Statuimus, ne in parochialibus Ecclesijs, quas tenent, absque Episcoporum consilio presbyteros collocent. Sed Episcopi parochie curam cum abbatum consensu Sacerdoti committant: Ut ejusmodi sacerdotes de populi quidem cura Episcopis rationem reddant: Abbati verò pro rebus temporalibus ad monasterium pertinentibus debitam subjectionem exhibeant.* Inde autem optimam rationem conficitur, non esse exemptas parochias monasterii, licet ipsum monasterium, cujus in districtu illæ continentur, exemplum sit. Non enim eadem est ratio capitis & reliquorum omnium membrorum; quanquam fieri possit, ut & hæc certo modo eximantur, & iisdem immunitatis privilegijs muniantur tum monasteria ipsa, tum Ecclesiæ illis subjectæ. Fidem hujus rei facit privilegium, quod Cœnobio Cavenli concessit Urbanus II. apud Baron. ad ann. M XCII. n. 20. Decernentes, ut tam ipsius cœnobii caput, quam Ecclesiæ, quas nunc habet, vel quas ex nunc in antea habebit, sive plebanæ fuerint, vel rurales, in civitate & diœcesi tantummodo Salernitanâ situatæ ab omni jure & jurisdictione Episcopali sint exemptæ de plenitudine potestatis & gratiâ speciali, ita ut nullo jure seu foro contentioso tu, vel tui successores Fratres ipsius Monasterii seu Clerici seculares in prædictâ civitate & diœcesi per Salernitanum Præsulem ac Capitulum aliquatenus constringantur, quinimò Ecclesiæ cum omnibus suis juribus & pertinentiis pleno jure ipsi monasterio sint subditæ.

XXI. Ex verbis sequentibus ejusdem privilegii discimus, etiam in Episcopalibus reservatis, quæ diœcesano deberi diximus, monasteriis libertatem aliquando hanc concessum fuisse, ut non diœcesanum semper adhibere necesse esset, sed integrum maneret Abbati implorare Episcopum, quemcunque voluerit, requisito tamen prius diœcesano. Sic enim pergit Pontifex: *Si verò aliquis de tuis monachis seu clericis seculares in Ecclesijs civitatis prædictæ & diœcesi commorantes ad sacros elegeris ordines promoveri, liceat tibi tuisque successoribus, quemcunque malueris Episcopum convocare, dummodo Catholicus fuerit; sed in alijs diœcesibus requisito duntaxat primitus diœcesano.* Pinguis adhuc est privilegium, quod Stephanus II. Papa Fulrado Abbati S. Dio-

S. Dionysii, & monasteriis ab eo conditis dedit, quod recensetur *tom. 2. Concil. Gall.* his maximè verbis: *Sed & hoc omninò interdiximus, ut nullus Episcoporum presumat presbyterum, aut diaconum, vel reliquos ordines Ecclesiasticos in prædictis monasteriis ordinare, vel missas ibidem celebrare, nisi ille, qui ab abbate in tempore existente fuerit invitatus. Episcopum illum, qui huiusmodi consecrationem sacri ordinis in ipsis cœnobiis constituerit, nullo modo alius cujuslibet Ecclesie Episcopus pro eadem causâ condemnare audeat. Sed & tabulas & chrisma similiter consecrandi vobis licentiam tribuimus &c.* Indefinitè & generaliter arbitrio Abbatis committit, cujus Ecclesie Episcopum is velit invitare ad ordinationem expediendam, nec addit, ut id fiat præviâ requisitione diœcesani. Deinde & chrismatismis consecrandi potestatem dat Abbati, cum tamen in aliis privilegiis & exemptionibus jubeantur monasteria chrisma ab Episcopis petere, uti apparet ex privilegio monasterii S. Dionysii, itemque eo quod monasterio Corbejensi datum est.

XXII. Tam liberales cum extiterint Pontifices Romani in concedendis privilegiis, postquam ad se potestatem eam omnem conniventibus principibus traxerunt, mirum non est, promiscuo usu impetrata ea fuisse, nec iustas tempè exemptionum causas extitisse. Prima ac præcipua ab initio causa fuit, ut, qui in monasteriis degerent, sufficientem haberent victum, & ne quid deesset monasterii necessitatibus avertendis, quæ plerumque suam ab Episcoporum vexationibus & speciosis exactionibus habebant originem. Accessit deinde, ut supra dixi, altera, quæ Episcopis adimebat potestatem præficiendi ex suo arbitrio abbates, utve ipsi deinceps monachi ex suâ congregatione eos eligerent, eò quod quæ sponte præstatur obedientia sine dubio promptior & excitatior sit eâ, quæ exigitur ab invito, qualis plerumque est, quæ in peregrinum & extraneum sese exerit. Sed in his duobus casibus præcedere solebat Episcopi proprii & aliorum provincialium libera concessio & renunciatio, quam deinceps sequebatur Pontificum Romanorum confirmatio. Postea verò sine ullâ aliâ nisi liberalitatis exercendæ causâ, nec adhibitio ampliùs Episcoporum consensu, imò invitis illis & reluctatibus atque contradicentibus exemptiones plenissimas concesserunt Pontifices Romani, tum ut retunderent, si quos sibi adversos habebant, Episcoporum potestatem, tum ut sibi obnoxios & faventes magis redderent abbates, & hoc ipso imperium suum ampliarent magis.

XXIII. Multum verò ad hanc Episcopi Romani liberalitatem contulit Abbatum nonnullorum ambitio, qui cum abundantes doctrinâ & incredibili quâdam varietate rerum atque copiâ ornati essent, indignè ferebant subesse Episcopis, nullâ sæpè cognitione rerum, nullâ scientiâ pollentibus, & non nisi autoritatem quandam stupidam atque protervam arrogantiam

osten-

ostentantibus. Et hanc tamen suam ambitionem ut honestè occultarent, Abbates fugillandi animo innumeras vexationum species, quibus affligerentur ipsi, sive fingeant, sive exaggerabant, & verbis in majus extollebant. Hanc enim quasi generalem de Episcopis querelam facit Anselmus Abbas Becci in literis ad Urbanum Pontificem, ut monasterio Beccensi privilegium aliquod impetret. *Non enim, ait, ignotum esse puto vestre Excellentie, quia plures Episcopi non tam gaudent monasteria paterna pietate nutrire, & Episcopali curâ erudire, quàm auferre quâdam dominatione & propriâ voluntate gravare.* Quâ ratione perquam facilè à Pontificibus impetrare poterant, ut sibi exemplis esse, & sub singulari atque immediatâ Ecclesiæ Romanæ protectione delitescere liceret, Episcopi autem Superioritate suâ, quæ illis jure communi competeat, exuerentur. Utve firmiora essent istiusmodi privilegia, neque ab Episcopis violarentur facilè, diræ quandoque & execrationes adjiciebantur horrendæ, quibus nemo facilè, innodari & feriri cupiebat. Eoque pertinet privilegium, quod Monasterio S. Karilei in pago Cenomannico dedit Nicolaus Papa, ipsum Episcopum Cenomannicum admonens, eique atrociter minitans, si quid secius ab eo factum fuerit.

XXIV. Postquam verò vidissent Episcopi, quorsum illa exemptio deflexerit tandem, & quæ inde Ecclesiis resultaverint mala, publicè eâ de querelas movere cœperunt, ipsosque Pontifices Romanos admonitionibus & petitionibus fatigarunt quandoque, ne tam promiscuè talia privilegia conferrent. Latiniacensis Abbas Parisiensis Episcopi regimen ferre volebat amplius, & ut jugum hoc, uti ipsi videbatur, excuteret, omnem movebat in aulâ Romanâ lapidem. Ivo igitur Episcopus Carnotensis, ut hunc ejus conatum infringeret, pro Episcopo Parisiensi Urbanum Pontificem his compellat verbis *epist. 65.* Præterea *summopere rogamus excellentiam vestram, ut eum munitum Apostolicis literis remittatis contra Latiniacensem Abbatem & Monachos ejus, qui nescio quâ novâ libertate suos excessus tuentur, & subjectionem Parisiensi Ecclesiæ debitam & hætenus exhibitam contra canonicam institutionem de cervice suâ excutere moliantur.* *Hæ autem personæ hujusmodi sunt, quibus magis necessaria est subjectio, quàm libertas, qui libertate in occasionem carnis abutuntur, quibus si decem millia pedagogorum in Christo ad custodiam deputarentur, vix tamen sic regularis continentie legibus ligarentur.* *Sicut ergo decet discretionem moderationis Apostolicæ, ita rem inter utrumq; temperate, ut nec Parisiensi Ecclesiæ suo jure minuatur, nec Latiniacense monasterium aliquod gravamen à Parisiensi Ecclesiâ indebitè patiatur.*

XXV. Quas ipse Ivo ob hanc causam cum Goffrido Abbate Vindocinensi habuerit contentiones, ex utriusque epistolis constat. Aspera sunt verba & objurgantis iram indicant, quibus Goffredo *epist. 195.* respondet Ivo:

Ivo: Verum quia frequenter ex te bibo amara, non est mirandum, si non possim tibi propinare dulcia, nec exhibere me patrem, qui te non invenio filium. Non ergo est injustum, si tibi subtraham lac matris, qui mihi debitum honorem non exhibes patris. Noveris enim vanas esse excusationes, quas obtendis, te propter obedientiam Romanae Ecclesiae, Carnotensis Ecclesiae professionem refutasse, cum Ecclesia Romana à DEO nullam injustam acceperit potestatem, fidem violandi videlicet, debita sua cuique non reddendi, sed tantum, quae sunt ligata ligandi, & quae sunt solvenda solvendi. Unde ad omnia objecta tua vel premissa breviter respondeo postpositis omnibus verbis supervacuis: fac quod tuum est, & ego faciam quod meum est. Quod quamdiu facere distuleris, si distulero facere ea, quae tua sunt, non mireris. Privilegium istud, ad quod provocaverat Goffridus, ex Cartulario monasterii Vindocinensis recenset Joh. Bapt. Souchetus in not. ad d. epist. Ivonis 195.

XXVI. Digna sunt verba, quibus & Abbatum vitia describit, & Pontificum Romanorum in dandis privilegiis inconsideratam facilitatem perstringit Richardus Archiepiscopus Cantuariensis in epistolâ ad Alexandrum III. Papam, quae extat apud Petrum Blesensem sub num. 68. Refert ibi, quam contumax fuerit Abbas monasterii Malmisburiensis, quantasque lites moverit Episcopo suo diocesano, qui erat Sarisberiensis, denique eum in hæc verba prorupisse: *Viles sunt Abbates & miseri, qui potestatem Episcoporum prorsus non exterminant, cum pro annuâ auri unciâ plenam à Sede Romanâ possint assequi libertatem.* Tum subjungit: *Ideo hæc ad aures eminentiæ vestrae, Reverende Pater, communi deploratione deferimus, quia pestis illa latissime se diffundit. Adversus primates & Episcopos intumescunt Abbates, nec est, qui majoribus suis reverentiam exhibeat, & honorem.* Evacuatum est obedientiæ jugum, in quâ erat unica spes salutis & prævaricationis antiquæ remedium. *Detestantur Abbates habere suorum excessuum correctorem, vagam impunitatis licentiam amplectuntur, claustralisq; militia jugum relaxant in omnem desiderii libertatem.* Hinc est, quod monasteriorum fere omnium facultates date sunt in direptionem & prædam. *Nam Abbates externis curam carnis in desideriis agunt, non curantes, dummodo lautè exhibeantur, & fiat pax in diebus eorum: claustrales verò tanquam acephali ocio vacant & vaniloquio: nec enim præsidem habent, qui eos ad frugem vitæ melioris inclinet.* Quod si tumultuosas eorum contentiones audiretis, claustrum non multum differre crederetis à foro. -- -- Et quæ est hæc forma justitiæ, aut potius juris deformitas, probibere, ne discipuli Magistro consentiant, ne filii obediant patri, ne milites sequantur principem, ne servi Domino sint subjecti? Quid est eximere ab Episcoporum jurisdictione Abbates, nisi contumaciam ac rebellionem præcipere, & armare filios in parentes? -- -- David verò de sententiâ requisitus iudicium mortis dictavit in divitem, & per consequentiam in seipsum. Et quis est hodiè dives, qui habet oves innumeras,

D d d d

nisi

nisi Romanus Pontifex, qui Ecclesias Orbis possidet universas? Et quis pauperior, quam Ecclesia Cantuariensis, quæ cum unam & unicam Abbatiam haberet, monasterium scilicet S. Augustini, quam sine providentiæ pastoralis & paterno fovebat amplexu, eam dives ille propheticus, ne dicam Romanus Pontifex, in suam specialem & propriam usurpavit. -- -- Scimus equidem quod ob quietem monasteriorum & Episcoporum tyrannidem has exemptiones plerumque Romani Pontifices indulserunt; veruntamen in contrarium res versa est. Monasteria enim, quæ hoc beneficium damnatissima libertatis sive Apostolicæ autoritate, sive, quod frequentius est, bullis adulterinis adeptæ sunt, plus inquietudinis, plus inobedientia, plus inopia incurrerunt. Ideoq; & multæ domus, quæ nominatissima sunt in sanctitate & religione has immunitates aut nunquam habere voluerunt, aut habitas continuo rejecerunt &c. Digna est tota epistola, quæ attentius legatur, quippe quæ Pontificum Romanorum inverecundas invasions acerbè perstringit.

XXVII. Eodem ferè stylo ante Blesensem exemptiones istiusmodi confodit Bernardus, ipse, quod mirari oportet, Abbas lib. 4. de consideratione ad Eugenium Papam cap. 4. ubi conqueritur, nullas vel paucas esse Ecclesias, quæ damnum istud & in injuriam illatam non sentirent, & addit, summum Pontificem per talia privilegia ostendere quidem plenitudinem potestatis, justitiam verò non æquè, & posse quidem facere, sed quæstionem manere, utrum facere debeat. *Murmur, inquit, loquar, & querimoniam Ecclesiarum, truncari se clamitant, ac demembrari. Vel nulla vel paucæ sunt, quæ plagam istam aut non doleant, aut non timeant. Queris quam? Subtrahuntur Abbates Episcopis, Episcopi Archiepiscopis, &c. & sic factitando probatis vos habere plenitudinem potestatis; sed justitiæ fortè non ita. Facitis hoc, quia potestis, sed utrum & debeatis, quæstio est.* Idem Bernardus in epist. 42. ad Henricum Senonensem Archiepiscopum perstringit Abbates quosdam, quod sub speciosa humilitate habitus tam superbè se afferant, ut cum subditos suos non paterentur mandatis suis quicquam detrahere, aut in minimis violare, ipsi tamen Episcopis propriis obedire nollent, & superbiam hanc suam honesto libertatis nomine tegebant, quodque ut privilegia hæc consequerentur, monasteriorum redditus devastarent. Paulo post addit, libertatem Ecclesiæ quam se querere dictitabant, libertatem esse omni servitute serviliorem, quæ addiceret illos pessimæ superbiæ servituti. Alibi monstro similem esse dicit Ecclesiasticorum graduum ordinem, & valdè confundi hierarchiam Ecclesiasticam, eò quod inferiores dignitates à superioribus proximis divisæ, capiti jungantur immediatè, ac si digitus supra manum constitutus capiti immediatè connectatur. Ad exempla, quæ objici poterant respondet Bernardus: *Non sum tam rudis, ut ignorem positos vos (Romanos Pontifices) dispensatores, sed in edificationem, non in destructionem. Deniq; queritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur.* Ubi necessitas ur-

get,

get, excusabilis dispensatio est: ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est, utilitas dico communis, non propria. Nam cum nihil horum est, non planè fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est.

XXVIII. Corruptelæ istæ, quæ ex monasteriorum exemptionibus provenerunt, seculo duodecimo sese præcipuè exeruisse, & ad fastigium iniquitatis adscendisse videntur, ita ut nihil tum addi ad improbitatem potuerit. Præcipuè enim quæ extant querelæ, eâ ætate ab Episcopis fuerunt contextæ, non in Galliâ tantum, sed in Britannia etiam atque alibi passim. Vixit iisdem temporibus Johannes Sarisberiensis, qui in *polycratico lib. 7. cap. 21.* hanc de monachorum istâ exemptione fert censuram: *Hi sunt, qui potestatibus persuadent, & propter vitia personarum, jure suo priventur Ecclesie. Decimationes & primitias Ecclesiis subtrahunt, & Ecclesias ipsas accipiunt de manu Laicorum, Episcopis inconsultis. --- Et quidem majora impune faciunt, & quasi cornibus gemine potestatis, Ecclesiam in cuius sinu quiescunt, & protegentur unbrâ, ventilare non cessant. Ad Ecclesiam namq; Romanam confugiunt, quæ mater pietatis religioni consuevit providere quietem. Implorant opem ejus, protectionis impetrant clypeum, ne cujusquam possint malignitate vexari, & ut se possint plenius exhibere, & charitatis implere manus, ne decimas dent, Apostolico privilegio muniuntur. Procedunt ulterius, & quo sibi plura impune liceant, à jurisdictione omnium Ecclesiarum se ipsos eximunt, & efficiuntur Romane Ecclesie filii spirituales. Ita tamen ut pro foro rei ubiq; conveniant, sed tamen conveniri non possunt, nisi Romæ vel Hierosolymis. --- Sumus, inquiunt tuti Apostolico privilegio, cur beneficio de nutrimentis animalium & laboribus nostris decimas retinemas. Nempe Apostolis omnia licent, sed omnia ab Apostolicis fieri nequaquam expedit. Esto, quod illi vobis hoc licenter concesserint, vos an rectè petieritis videtis. Nempe qui petit, ut quod debet, non faciat, justitie spontaneus non obedit &c.*

## CAP. XXV.

### De fure, quod habet Episcopus in Clericos.

I.

Supra, cum de hospitalibus agerem, mentionem feci canonis 8. ex Concilio Chalcedonensi, quo jubentur Clerici ptochotrophiorum, monasteriorum & martyriorum Episcopo diocesano subesse. Id verò ad illos solos restringendum non est, sed quia putarunt illi, propter conditionem suam exemptos se esse à potestate Episcoporum, nec paria se facere cum reliquis Clericis, qui Ecclesie inserviunt, hinc adeo specialiter constitui oportuit, etiam illos Episcopis subjectos esse debere. Nec verò unquam dubitatum fuit in Ecclesia, *Παισικονν*, quam habent Ecclesiarum Rectores, sese

D d d d 2

ex-